borant caput, *quædam* legibus ferendis *cuſtodiendisque aptæ ſunt, &c.*

USUS E VERSU X.

(1) *Subjugatorum diverſa ſunt onera laboresque, ſicut h. l.* Moabitarum.

(2) Subjugatio (*Edomæorum*) *à ſolô proficiſcitur Deo, qui tales victorias quandoque concedere ſolet etiam Nebucadnezari aliisque huic ſimilibus*: Jer. XXVII, 6. XLIII, 10. Ezech. XXIX, 18. 20.

(3) *De bono Domino merito* exultandum *ſubditis anteà mirè vexatis, vel de ſalute æternâ periclitantibus.*

USUS E VERSU XI.

(1) Occupatio munitionum *non militum audaciæ armorumque aut apparatus multitudini adſcribenda, ſed ſoli Deo, ſucceſſum largienti*, 1. Macc. III, 18.

(2) Munitio arcium, *occluſio territorii, per vallæ ac munitiones, haut quaquam dedecent prudentem magiſtratum.*

(3) *Deus eſt, qui feliciter* ducit *ac* reducit *exercitum, imò quemq; peregrinantem privatum*: Exod. XV, 13. Deut. VIII, 15.

USUS E VERSU XII.

(1) *Utut aliquandiu, ob noſtra crimina,* abjiciamur A *ab offenſô Numine, non tamen deſperandum reſipiſcentibus.* abjicit, *& nihilominus in loca munita terrasque hoſtium victores nos poſtea* deducit.

(2) *Deum præſidem ducemque amittit* Exercitus, *quando pollutus eſt anathemate.* Joſ. VII, 12.

USUS E VERSU XIII.

(1) *A Deo omne noſtrum* auxilium: Pſalm. CXXI, 1.

(2) *Opitulatio ab hominibus ſperatur fruſtra*: Jer. XVII, 5. *Imò licet quandoque hominum bene videatur succeſſiſſe ſubſidium, brevi tamen malum ſuccedit periculoſius. &c. vid.* præc. I. *de fiducia in creaturis.*

USUS E VERSU XIV.

(1) Per Deum, cum DEO & in Deo *vera demum efficimus opera bona, vincimusque ſtrenuè. In Chriſto neceſſe eſt ſimus prius palmites, antequam feramus fructus*: Joh. XV, 5. *ſic labor in Domino non erit inanis*: 1. Cor. XV, 58.

[2] Hoſtes noſtri, *tam viſibiles quam inviſibiles,*
B proculcantur, *non ſine Domino*, Rom. XVI, 20.

(3) *Gloria proinde non dividenda inter noſtras Deiq; vires, ſed ſoli ſemper Deo aſſerenda unicè*: 1. Cor. XV, 10, X, 31. Pſ. CXV, 1.

PSALMI LXI. DISPOSITIO

Aſylum firmum. Deus turris robuſta. Invocabo: proſperabis.

IN precibus hisce ſolennibus obſervanda

I. Petitio: (1) generalis: *audi clamorem meum* &c. v. 2. ubi additur tum locus: *ab extremo terræ*, tum precandi modus: *clamo*, tum cauſa: *cor meum obruitur*: v. 3. (2) ſpecialis (א) *deduc me in petram me altiorem*: ibid. Ratio: (a) *fuiſti aliàs perfugium turrisque mea inexpugnabilis*: verſ. 4. (b) *morabor* liberatus *in tabernaculo tuo jugiter*: v. 5. (c) *ſub latibulo alarum tuarum confidam*: ibid. (d) *audiviſti* hucusque *vota mea*: verſ. 6. (e) *conceſſiſti cultoribus tuis hæreditatem*: ibid. (ב) *prolonga vitam regis*: verſ. 7. (ג) *regnet coram Deo perenniter*: verſ. 8. (ד) *juſtitia & veritas cuſtodiant ipſum*: ibid.

II. Promiſſio: (1) *pſallam nomini tuo in ſeculum*: verſ. 9. (2) *vota exſolvam quotidie*: ibid.

PSALMUS LXI.

EXPLICATIO VERSUS I.

עַל נְגִינַת *Super pulſatili inſtrumentô*:) Vox נְגִינַת, *inſtrumentum pulſatile*, ſeu cujus fides tactu digitorum, bacillis vel plectrô moventur, deſignat; radix quippe eſt נָגַן *pulſavit*, v. g. citharam, 1. *Samuel.* XVI, 16. 23. XVIII, 10. XIX, 9. &c. (vide *Pſal.* XXXIII. 3.) Inde נוֹגְנִים *pulſatores*, cantoribus juncti, *Pſalm.* LXVIII, 9. confer *Habac.* III, 19. Pluralis נגינות aliquoties hoc modô adfuit in titulis, v. g. *Pſal.* IV, VI. LIV. LV. item *Pſalm.* LXVII. LXXVII. Singularis autem non adhibetur in inſcriptionibus ejusmodi, niſi tantùm hôc locô: adeoque ſine dubiô collectivè ponitur, ſicuti de שׁוֹשָׁן quoque licuit obſervare pſalmo præcedente, *verſ.* 1. Forma regiminis nexum ordinariè poſtulat hujus vocis cum ſequente nomine autoris, *David*, q. d. ſuper pulſatili (vel citharâ) Davidis decantatus, nec non ſuper ſimilibus impoſterùm decantandus. Niſi dixeris accipiendum cum *Aben Eſra*, de initiô cantilenæ; ob formam regiminis נְגִינַת cujusmodi forma etiam occurrit in voce מַחֲלַת *Pſalm.* LIII, 1. & LXXXVIII, 1. Sed & huic dubio occurrit Kimchi, nudè aſſerens, formam ſyntacticam per enallagen poni pro abſolutâ, cujusmodi exempla ſunt *Jeſ.* XIV, 6. מַכַּת plaga, *cap.* XXXIII, 6.
C חָכְמַת ſapientia; *Pſal.* LVIII, 5. חֲמַת venenum &c. vide Buxtorf. *l. 2. theſ. gram. c. 4. p. m.* 380.

EXPLICATIO VERSUS II.

שִׁמְעָה *audi*:) ſimilem phraſium vocumque congeriem vide *Pſalm.* XVII, 1. *Pſalm.* XXXIX, 13.

EXPLICATIO VERSUS III.

מִקְצֵה *ab extremô terræ*:) h. e. ab ultimis fermè terræ ſanctæ partibus, quorſum miſer ego fugitivus me recepi, preces ad te fundo. Luther: hienieden uff Erden: priùs: von Ende der Erden. Patet hinc, Pſalmum hunc à Davide non in metropoli Hieroſolyma, vel arce Sion, ſed in confiniis terræ ſanctæ in exiliô ſive ob Saulem, (ita *Kimchi, Muis.*) ſive propter Abſalomum potiùs fuiſſe conſcriptum. Sic enim phraſis hæc קְצֵה הָאָרֶץ de finibus terræ Canaan reperitur *Deut.* XIII, 7. *Exod.* XVI, 35. &c. quippe per הָאָרֶץ non rarò antonomaſticè terra ſancta denotatur: vel (ה) emphaticum eſt demonſtrativum certæ terræ vel regionis.

Atque

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn354076086/518
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG